257.

+

Quos peregrinos mihi nobiles peregrinos commendasti, Hugeni
Nobil.me hactenus omnes non vidi. Adijt me unus eorum
nomine; cui omnem operam atq officia obtuli quae debere me
mandatis tuis, et eorum meritis quos amicitiâ tuâ dignatus es,
palam professus sum. Si totus meus sim, neq etiam otij mei
momenta singula ab aliorum nutu dependeant, gratuler nunc mihi
de tam insigni occasione oblatâ, quâ quanti te faciam re ipsâ valeam
ostendere. Sed nosti provinciam hanc, et quam vacare mihi aut
amicis per eam non datur. Vacabo tamen desiderijs tuis, quantum
alio pacto licebit per vinculum superioris obsequij.
De Republica paucis te doceo, quod unum hic didici; nihil
sperare. Abijt in fumum primus ille animorum impetus,
quo scilicet Hispaniam omnem debellatam ibamus, cum
Legati nostri increpuerentur quod tantarum rerum deliberationi
serius accederent. Hi ijdem illi tertium hic mensem desident.
Patriaene commodo an detrimento majori, merito ambigas. Quod
enim qui sub idem tempus in Galliam ablegati fuere, non illum
adeo prosperum negotiationis suae successum experiuntur, quem
lata rerum facies advenientibus promittere videbatur, ab hoc
Rege est, mi Hugeni, qui (quod etiam in Britannia liberè
affamur) ab omni re bellica alienissimus, quicunq eo consilia
spectant aut petitiones nostrae, conditionibus tam duris et
iniquis involutum iuit, at satis jam planum fecit, quam
adhuc in animo non habeat quidq statuere quod Hispano

displiceat. perniciosissime, ut jam dixi, in Galliae exemplo, ubi quae gratis hactenus auxilia obtinuimus, eadem [illegible] difficultate implicari feruntur. Iste morarum nostrarum fructus est, quas tamen, ut opinor, brevi nunc abscissum iri, ne nihil agendo id agamus, quod infectum omnis posteritas optatura sit. Ignosce, quaeso, et occupationes meas excusa si minus prolixe ea prosequor, quae tecum privatim [illegible] quovis communicare libeat. Coram explicaturus mihi sum, si propitium erit. Si quid interea pro literis familiaris in vicem retribuere dignaberis, eorum quae apud vos occurrunt, invenies usque humanitatis atque beneficiorum tuorum gratissimum aestimatorem. De studiis imprimis tuis, quae coram in partes plurimas retulisti, quid luci publicae et quando pollicearis avide cupio certior fieri. Nam si absentem eo affectu prosequeris quem profitebaris, cum Leidae eramus, debebis jam intelliges mea interesse non ignorare quid rerum mediteris. Agnoscis avidum exactorem, at ille pudorem omnem deposuit, quo discas apertius esse eundem tui amantissimum. Vale Vir summe et me ama.

Raptim Londini 21. May 1624

D. T. Studiosissimus

Huygens

Haec raptim hasce exaraveram; sed cum cui perferendas daturus eram ex jussu DD. Legatorum in alterum diem atque alterum iter protulerit, visum est nunc adjiciendo stilo prius novo et tibi quidem inexspectato, subito nescio quem Phoebum apparuisse per divitissima nubibus, de qua in literis. Itaque brevi opinor non ingratum munusculum patriae aut perscriptum aut ipsum allatum sumus. Ecce mihi [illegible] ad aulicarum rotam. Vale mi Heinsi et amicissime.

24. Maj.

© Universitetsbibliotek Uppsala
E 371
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/240

Mijn Heere

Heere Huijgens

ridder, Secret.s van Sijn Ex.e

Ter

Velde.

© Universitetsbibliotek Uppsala
E 371
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/240